

~~Ex~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

II  
6

SIGNAT. ~~cis~~ CCCXIII.

Ung II 6

*De Monarchia et Sacra corona  
regni Hungariae centuria septem  
auctore Petro de Renna  
publ. Franciscus de Nadasd.*

*Francofurti 1659.*

*Kabo III 2058.  
Appenz. 854*

ARTIO

4

GEORGI CASP: KIRCHMAIERI,  
LL. AA. M. ATQVE ELOQVENTIÆ  
PROF. PUBL.

De


Nobilitate, & amplis-  
simâ rei Oratoriæ, in Rempubl.  
redundante Utilitate,

ORATIO  
INAUGURALIS

*Solenni ritu recitata.*

Wittebergæ,

In Acroaterio Majore A. O. R. M. I<sup>o</sup>c. LXXI.  
Ipsis Nonis Iuliis.



BUCHNER.


Dissert. Acad. CXXXIX.  
Est Eloquentiæ Studium  
proprium iis jam olim, qui  
nati loco nobili & in spem  
Reipublicæ adole-  
scunt.

VVITTEBERGÆ  
TYPIS HENCKELIANIS.

GEORG CASPIUS  
ILLAVIANUS LOGIEN  
PROB. PUBL.

De  
Mocissis & Schindler





Onscendent mihi inclytam hanc , post  
AUGUSTUM BUCHNERUM, non sine  
qvodam religionis sensu,cathedram, inqve  
confessu Virorum maximorum facturo  
verba, RECTOR MAGNIFICE , PRÆ-ILLUSTRIS ac  
GENEROSSISSIME LIB. BARO, Viri maximè Reverendi,  
Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi, Amplissi-  
mi, Clarissimi, PATRES Academæ CONSCRIPTI, Do-  
mini Patroni, Promotores atq; Evergetæ, summo veneran-  
di opere ac suspiciendi; Tuqve STUDIOSORUM nobilis-  
sima florentissimaque concio : id propemodùm venire u-  
su vult , quod Oratorum consummatisimo cuidam acci-  
diffe ferunt, ex rubore silentium. Sive enim præsentis actus  
solemnitatem, sive magnificam eorum, ad quos dicendum  
est, præsentiam, sive judicii vestri æstimare gravitatem ve-  
lim ; præterardua materiei, atque accuratisimas doctrinas,  
( quas tamen penes Vos, universas, in me nullas residere, ec-  
cur diffitear?) adferri haud quicquam oportere, facilè intel-  
lico. Quæ talia certè sunt ac tanta, ut exercitatisimi cuiusq;  
disertitudinem solicitare pariter ac fatigare videantur. Ego  
verò, qui nec ingenio valens , nec ætate gravis sum , nec  
eloquendi facultate antecello, tantò vicinorem discrimini-  
bus me esse, ipsem agnoscam ; quantò remotus magis ab  
omni laudum excellentiâ deprehendor. Quanquam præter  
communia illa efficacissimæ consternationis incitamenta,  
quædam quasi privata mihi, domesticaque superaddita ob-

A 2 fer-

servem. Hinc enim extremè arduam Eloquentiæ provinciam indignitati meæ gratosè demandatam; illinc incomparabilem Virum, AUGUSTUM BUCHNERUM, (de quo illud ego dicam, quod Platonis suo, Stagirita Sophus, exstructâ arâ, insignitâque hâc scriptione posuit: PLATONI, VERO, QVEM NEFAS EST A MALIS LAUDARI:) dum frequentiore curâ meditor; ingenii quâdam verecundiâ attonitus, nè attaminarem confidentior amplitudinem muneris, in perpetui silentii legem, parum absfuit, ut me industrârim. Subveniebat animo subinde, gloriofissimi Prædecessoris, omnibus absoluta numeris & gloria, & meritorum præclarissimorum magnitudo. Noveram Oratoriæ antistitem exquisitissimis non imbutum solummodo, sed madefactum quasi artibus, ac literaturâ præditum reconditioni esse oportere. Nec ignorare poteram, quâm plenum opus aleæ, hoc esset, coram eruditis orbis censoribus, extemporaneas nitidissimasque (*quandoquidem hoc sibi eloquentia depositum*) ingenii subactioris venum explicare merces. Et verò nihil adhuc de *Politica*, illâ Oratoriæ animâ, historiarum item linguarumque non tralatitiâ cognitione dixi. Tenenda enim, monitore *Tullio*, omnis antiquitas, exemplorumque vis: neque legum, aut juris civilis scientia negligenda est. *Ac meâ quidem sententiâ* (ut idem de consummatæ virtutis Oratore, Cicero inquit:) *nemo poterit esse omni laude cumulatus Orator, nisi erit omnium rerum magnarum, atque artium scientiam consecutus.* Quæ singula sicuti rarissimæ felicitatis monumenta sunt; ita in me vix mediocria quidem prostant. Quotusquisque igitur est, qui non desiderare semper, sistere nunquam AUGUSTUM redivivum possit? Sola & auxilio mihi, & solatio esse poterat arcana Numinis propitii voluntas;

tas; quæ, cùm arbitria mortalium terminorum præsentissime moderetur, & media majora mihi pedetentim, cum finem antea, pollicebatur. *Obtemperandum Deo est, quo tecum duxerit, vocaveritq; ut non immerito apud Euripidem, in Tauris, Thoas pronuntiaverit:*

τί γὰρ  
πολὺς Τάς θένοντας Θεός αὐτὸς καλόν;

**Cujus dicti rationem, apud Sophoclem, in Oedipo, Jocaste reddit:**      ών γὰρ αὐτός  
χειρὶς ἐρευνᾷ, παδίως αὐτὸς Φανεῖ.

Faxo interim, ut, quicquid in me adhuc desiderare vel livor ipse queat; *virtute, tempore, industriâ laborumq;ve assiduitate adipiscar.*

TIBI ergo, impervestigabile Numen, devota labiorum animiq;ve vota nuncupo, qvòd me servulum tuum, & hominem nasci, & renalci Christianum, & inter pietatis doctrinarumq;ve officinas erudiri, salvum superstitemq;ve, sufficienti mediorum apparatu, ad hunc usque diem superesse, non fuisti dignatus! Tua, DOMINE, clementia est, qvòd honestissimi parentes, bonæ fidei præceptores, magni benevoliæ Mecœnates, ad saluberrima virtutum sapientiæq; me composuerint præcepta, & honestam vivendi rationem edocuerint. Tua illa gloria dextra, inter difficillima casuum rexit potenter me, ac protexit efficaciter. *Quicquid in me est, à te est, ad te est. Dicant statuantvé de nobis, quod omittere non possunt, alii; novimus nos invicem, jam à primo vitæ limite, DEVS. Exardescunt pectoris interiora, (quaæ tu pernocti solus, ac probas) ad ampliandum nomen tuum, & inservien-*

B                  dum

dum proximo. Si enim cum hâc exceptione, animi con-  
cederentur dotes, ut illas inclusas teneam, nec enuntiem, rejiciam. Ad labores me damnasti; ecce præstò sum! fac, quod  
voles: non me terret labor. Sit mens sana saltem in corpore  
sano! Sapientiam, cùm puer essem, Salomonem imitatus,  
huc usque petii indesinenter: securus de honoribus, divi-  
tiis, delitiisque. Dediti, quantum ferre miser poteram: nec  
cætera omnino denegasti. Tibi ævum in omne, laus sit, &  
gloria perennis! Inter dubia eventuum, quid de meis, Deus  
optime, decretum velles, studiis, cùm animi excruciarer sæ-  
pè, tûm salutis viam, Nicodemi more, quæsitarem, quò me  
destinâsses, tandem aperueras. Erat pentecostalis, lingua-  
rum cœlitùs infusarum ominosa lux, muneric hujuscenun-  
cia. O veniat super me, quod super Apostolorum concio-  
nem requievit, sacrosanctum Flamen! Ille instrumenti Ve-  
teris Evangelista, sacer Vates, cùm illotis præco labiis esse  
videretur; admotâ ori prunâ, Seraphino delatore, functioni  
aptus inaugurbatur. Nondum tua, Domine, abbreviata  
manus est, nondum mutabilis voluntas facta; præsta, ut se-  
lectum gloriæ amplificandæ tuæ, & proximi juvandi orga-  
non evadam! Exaudi preces! benedic laboribus, vigili-  
isq; da sapientiæ raritatem, modestiam, animi q; candorem  
in dies stabili! Sic precor, sic spero: non confundar in eternum.

Nunc quâ obsequiorum pietate, Te Serenissimum  
Potentissimumque PRINCIPEM ac DOMINUM,  
**DOMINUM JOHANNEM GEORGIUM SE-**  
**CUNDUM,** Saxonie, Julie, Cliviæ ac Montium Ducem,  
sacri Romani Imperii Archimareschallum & Electorem, Land-  
gravium Thuringiae, Marcbionem Misniæ, Superioris item ac

In-

Inferioris Lusatia, Burggravium Magdeburgensem, Comitem  
 de Marca & Ravensburg Dominum in Ravenstein &c. Domi-  
 num nunc quoque meum Clementissimum, quâ inquam oble-  
 quiorum pietate, precumque devotissimarum prosequar  
 victimis, ac mactem? cùm totus implear admirationis, ec-  
 quomodo vel condignas meditabor gratias? vel pauperi o-  
 ratione exprimendo assequar? Tua, DOMINE, magnificen-  
 tia est, qvòd in hoc florentissimum receptus Athenæum  
 concivis fui. Tua, PRINCEPS SERENISSIME,  
 clementia est, qvòd incorruptam cœlestis veritatis, pietatis,  
 eruditionis, virtutumque doctrinam inter tranquilla hal-  
 cyonia ab illis potui haurire, quos augustissima Tua, PA-  
 TRIÆ PATER, munificentia, in hac conservare A cade-  
 mia solet. Tua, HEROS, gratia est, qvòd è discentium  
 classe, in Docentium adoptatus ordinem, amplissimâque  
 nuper Eloquentiæ spartâ, & Professione Publicâ, in hoc no-  
 bilissimo literarum Emporio, abs Te, ELECTOR  
 Potentissime, ornatus confirmatusque fui. Quæ singula  
 atque universa sanè tanta sunt, ut majora esse nequeant.  
 Ego indignus, interque devotissimos clientes Tuos mini-  
 mus, quid maximo retribuam Benefactori? Pietatem, ob-  
 sequia, preces vis? At hæc omnia debeo ante, & exolvam.  
 Laboris assiduitatem, & muneris concretiti exspectas fi-  
 dem? Hanc certè & pollicebor, & quantum in me est, obse-  
 quiösè approbabô. Lycurgus, Plutarcho referente, minimi  
 sumptûs sacrificia, Spartæ constituerat, ut Deos immortales  
 honorandi, semper in promptu esset copia. Dabis veniam,  
 SERENISSIME, si, cùm thura non habeam, molâ salsa li-  
 tem, sacratissimumque AUGVSTATI TUÆ,

& votum, & nōmēn nūncupassō. ο πρέσβυ, Θεοί. Σοι δώτεν ἐν, καὶ σοῖς:  
apud Tragicum, Andromache exclamat. Liceat mihi etiam:  
ο πάντα, Θεός Σοι δώτεν ἐν, καὶ σοῖς, ingeminare. Deus, quem Tu curas,  
ille Te, Deus inquam, desiderata cordis, & vota labiorum  
**TIBI** largiatur! Benedictione omni, illustrissimam Saxoniæ  
Domum cumulet! coronam capitii imponat! vitam, quam  
appreciamur omnes, in longitudinem dierum, ac sempiter-  
nitatem proroget! Magna sit gloria Iehovæ in salute Tua;  
decus & Majestas super Te quiescant! Inveniat manus Tua  
omnes inimicos Tuos! dextera Tua osores confringat Tu-  
os! surgat Deus, & dissipentur hostes Tui! fugiant, odio ha-  
bentes Te! ô Domine, serva! ô DOMINE, fac, prosperè uni-  
versa cedant!

A Principe Opt. Max. ad Vos, Patres Academiæ Conscri-  
pti, transeundum mihi esse, animadverto. *Decet enim*, (ut la-  
tinè saltem hīc exprimam, quæ apud Sophoclem, in Ajace  
flagellifero, Tecmessā græcè proferebat.) *Virum memorem*  
esse, si quid illi suave accidit: *gratia semper parit gratiam*. Si  
cui verò excidit accepti beneficij memoria, is neutiquam Vir ge-  
nerosus est. Majorné mea, in Vos, oblevantia, an gratifican-  
di promptitudo sit, cùm utraque affectet principatum, me-  
cum ipse adhuc dubitare soleo. Ita summa omnia sunt, quæ  
in me indignum contulisti. Sive igitur vestram in docen-  
do, dexteritatem æstimem; sive in tuendo, promovendoqve  
me, benevolentiam metiri velim, tanta gratiarum incentiva  
persentisco, quanta & exposcit pietas, & æquitudo flagitat.  
Vestrâ, EVERGETÆ, indulgentiâ, Magistrorum ordini  
adnumeratus fui: auctoramento vestro, privatas, diversi

sub-

subinde generis scholas aperueram, & frequentiore ausu, ex Philosophia velitationes publicavi. Nec ullus ambigam, quin ex tam uberi Auditorum messe, quasdam quasi, (ut ex modestia & debito id recitem) fertiliores spicas lucratus Deo meo fuerim. Vestrâ, COLLEGÆ VENERANDI, & aquanimitate ac concordiâ suffragiorum, superiori anno, inclitæ Philosophorum Facultati membrum dedi. Et verò, quid de præclara, Maximi, Optimi PROMOTORES, commendatione, prævioque denominationis, (ut vocant) ritu, ad provinciam præsentem dicam? Vestrâ indignus ope, quis enim talibus fecerit satis, quorum ultra genitores, merita assurgunt?) divinæ initiatus velut vocationi, ritè legitimèq; per Numinis directionem, à SERENISSIMO, POTENTISSIMOQ; PRINCIPE ELECTORE præstitutus pariter ac confirmatus fui. Mare quoddam beneficiorum estis, in quod refluit, quicquid inde dimanavit. Usque adeò vestra sunt, quæ mea sunt. Aequum est, ut me ipsum Vobis cum Æschine Socratico, illo animi melioris, quam fortunatum possesso, tradam. Tu Deus clementissime, hos serva, protege, & arbitrio votorum bea, per quos me, meaque promovere dignabar. Vivant omnes, & salubriter inserviant TIBI, PRINCIPI, Academiæ, suis, Sibi! da perennitatem pacis! docentium, dissentientiumque piis conaminibus, propitium quandam adspira tantisper favorem, dum angusta mortalium emensi spacia, ad augustissimam illam, & felicitatum comprehendi nesciarum universitatem evehamur!

Jam peractâ precum exomologesi, restat, cujus gratiâ in hunc ascendi locum, ut præclaro isti, ac omni vehendo laude, instituto obsequar, inaugurem, (ita enim appellant) sermonem habiturus. Quæ me quidem res solabitur

C abun-

abundè, qui minùs alioqui, quàm necessitudo exegisset, dicens  
cendo valeam ; si præter & votum & mentem res expetiverit,  
tantò propior benignitati ero, quantò ab ambitione me  
alieniorem esse, incorrupti rerum æstimatorès vident.

Fluctuanti mihi primùm, ecquam præ reliquis feligrem addicendum, materiem, multa ac præclara themata  
subveniebant. Id verò dissimulare nolim, quod ex Poëtis, ne-  
scio quis, nisi forte Venusinus fuit, cecinit, gravissimum a-  
pud me obtinuisse pondus : *tractant fabrilia fabri.* Ostendenda scilicet nobilitas, amplissimaque artis Oratoriæ,  
in Rempublicam utilitas redundans erat : docendumque,  
quanti momenti quidem opus, in omni vitæ statu esset, so-  
llerter expediteque & eloqui & scribere. Quod dum molior  
propositum, tametsi formidinis haud vanæ argumenta ha-  
riolari possum ; in vestrâ tamen, AUDITORES, benevo-  
lâ attentione, omnem successûs fiduciam reverenter collo-  
cabo, faxoque, ut, si nullâ aliâ, brevitatis tamen ratione, me  
Vobis modestissimè commendem. neque enim hîc indi-  
serta dictio, sed officii, ex consuetudine & mandato subeun-  
di, pietas spectari in compendio debet,

**Q**ui Nobilitatem rerum personarumque alio, quàm  
ex virtute, medio interpretantur, næ illi, ut graviter errant ;  
sic ordinem intervertunt omnem. Quid enim est Nobili-  
tas, nisi publicum excellentissimæ virtutis documentum ?  
*Virtute ergo & acquirere, & tueri acquisitum, nomen nobile o-  
portet.* Demus aliquid antiquitati, ac avitis pompis ; augu-  
statem ipsam & auctoritatem veneremur ; cedamus potesta-  
ti aliquantum ; in pretio, prærogativa beneficiorum habe-  
tur ; nec pulchritudo etiam displiceat : non vilia, fateor, uni-  
versa hæc quidem sunt : nisi tamen ex virtutis scaturigine  
proficiuntur, quid erunt aliud, quàm sine capite rivi ? sine  
nucleo putamina ?

Illa

Illa, illa demum absolutissimæ laudis æstimari bona debent, quæ virtute animante vegetantur veluti ac perficiuntur. Nunc verò, quotusquisq; est, qui, quorū hæc dicta applicataq; volebamus, non animadvertis iponte? suā scilicet virtute potissimum, antiquitate, maiestate, atque efficaciâ, venustate item ac magnitudine prærogativarum eminens, res Oratoria deprædicanda venit. Rarum quid, ac regale, virtus est, quæ in luteas, plebejasque animas vix cadit. Fallo ego totus, an virtute ipsâ rarer eloquentiæ felicissima possessio? Arrisere semel atque iterum ista Ciceronis: mihi quidem sæpenumerò in summos homines, ac summis ingenii præditos intuenti, quærendum esse, visum est, quid esset, cur plures in omnibus artibus, quam in dicendo admirabiles extitissent. nam quocunque te animo & cogitatione converteris, permultos excellenteis in quoque genere videbis, non mediocrium artium, sed propè maximarum. Quis enim est, qui, si clarorum hominum scientiam, rerum gestarum vel utilitate, vel magnitudine metiri velit, non anteponat Oratori Imperatorem? quis autem dubitet, quin belli Duces ex hac una civitate, præstantissimos penè innumerabiles, in dicendo autem excellentes, vix paucos proferre possumus? jam verò consilio ac sapientiâ qui regere, ac gubernare Rempubl. possent, multi quidem nostrâ, plures patrum memoriâ, atque etiam majorum extiterunt, cùm boni per diu nulli, vix autem singulis æstatibus, singuli tolerabiles Oratores invenirentur. Ac ne aliunde, quam ex intimis prudentiæ profatus hæc videri posse, paucorum interjectu, quæ supra etiam proferebamus, subdit: meâ quidem, inquiens, sententiâ, nemo poterit esse omni laude cumulatus Orator, nisi erit omnium rerum magnarum, atque artium scientiam consecutus. Eant nunc quidam, & extemporaneos illos

Oratores unicâ plagâ cùdant , quemadmodùm una olim  
vertigo effecet at Quiritem . Maximus profectò ille *Fabius*  
*Quintilianus*, Rhetorum Oratorumque decus : multò labore,  
asiduo studiō , variâ exercitatione , pluribus experimentis , al-  
tissimâ prudentiâ , præsentissimô consiliō , dicendi ars constat,  
ait. Sapientiam , prudentiamque mirantur omnes , omnes  
laudant : nec inventus sanior ullus est , qui excellentissimas  
virtutes istas , quas intellectuales , morum magistri vocant ,  
non affectârit contentissimè ? certè veneratus fuerit . Quid  
enim divinius , magnificenter , gloriosiusvè , addo & diffici-  
lius , ( secundum illud Tiresiæ apud Sophoclem in *Oedipo Ty-  
ranno* , Φεῦ , Φεῦ , Φεγρέν ως δενόν ! ) absolutissimô sapiendi ar-  
tificio ? Orator verò extitit nemo unquam , qui non & sapi-  
ens , & singularissimæ virtutis cultor . *Malignum sapientia a-  
nimum baud intrat*. Ut ideo solerter admodum M. ille Annæ-  
us Seneca Rhetor , posteaquam emasculos & extra obscœ-  
nitatum ultima projectos juvenum , seculi sui , mores casti-  
gasset , Deos immortales rogitarit , ne permitterent tantum  
mali , ut in eos cadat eloquentia ; quam non mirarer , subdit ,  
nisi animos , in quos sè conferret , eligeret . Orator enim ( subjun-  
git inibidem Seneca ) *vir bonus est , dicendi peritus* , Vir bonus  
verò ille audit , qui ad virtutis sanctissimum tenorem , dicta ,  
facta , cogitataque componit sua & examinat . Neque ego  
met admirabor Oratorem , nisi id , quod laudat , quantum  
potest , ipse præstet . *Efficacissimum quippe permovendi genus*  
*est , exemplo persuadere*. Secùs qui faciunt , & sibi pessimè con-  
sulunt , & infelicissimè alios informant . Intelligitis , AUDI-  
TORES , intelligitis , quid res sibi Oratoria deposcat , quidq;  
sit , Oratorem non dici solummodò , aut videri , sed reverà  
esse . Jam si per plurima seculorum retrò spatiemur interval-  
la , quantoq; jam olim habitum in honore Eloquentiæ stu-  
dium fuerit , edocuerimus ; non erit , ( ut ego quidem inter-  
pre-

pretor) facilè quis, qui antiquitatis religione motus, omnibus illud præconiis non vehat maximoperè ac extollat. Hebræilla, sacra Numini gens, quām exquisitè dedita arti huic fuerit, cùm & oracula divina, & tot scripturarum relicta monumenta comprobent, cogitare melius, quām assequi verbis fortè licet. Grajos hīc magis, ac prīscum intervise re Latium, ob proprium quasi eloquentiæ cothurnum placet. Atque ne plura, serie vix numerabili conlecter, in compendium, rem agam omnem. Sic enim statuo: à nullo, sive jeculo, sive populo, superatam, rei Oratoriæ laude, Græciam fuisse. Quanquām enim nec suo Romani encomiō fraudandi videantur penitus; nescio tamen, annon controversiam semper, si non & opprobrium quandoque illis, Græcorum disertissima natio facete potuerit? Seneca profectò Rhetor, insolentem eloquentiæ Græciam cognominans, hoc ipso non obscurè fallitus est, quantâ in celebritate versata olim disertitudo græca fuerit. Cicero ipse: ut omittam Græciam, inquit, que semper eloquentiæ princeps esse voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis, & inventa est, & perfecta, in hac ipsa civitate profecto (nulla unquam vehementius, quām) Eloquentiæ studia viguerunt. Ac mox: pōst, ait, auditis Oratoribus Græcis, cognitisque eorum literis, adhibitisque Doctoribus, incredibili quoddam, nostri homines, dicendi studio flagraverunt. Sed quid verbis opus, rerum ubi præstò documenta sunt? quotusquisque enim nescit, (ut Poëtas, Orpheus, Homerum, Pindarum, Theognidem, Hesiodum, Tragicos item, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, innumerosque alios hīc non attingam) quis Plato, Socrates, Demosthenes, Aeschines, Demosthenex gloria & acerrimus imitator & adversarius, Themistocles item ac Alcibiades, Epaminondas, Dion, Herodotus, Plutarchus, Aet-

D                    tica

tica illa apis Xenophon (sed quis enumerabit omnes?) fuerint? & verò nihil h̄ic de accuratisimis istis septem Græciæ Sapientibus commonefeci. Platonem tamen, ut in primis commendarem, & operis, quod prolixè sapienterque scripsit, dignitas, & testium poposcit claritudo. Cicero nimirum cùm intelligendi, tūm dicendi gravissimum autorem fuisse Platonem refert, ita, ut si Jupiter humanâ linguâ loqui voluisset, non aliâ, quām Platonis, fuisse locuturum. Dubitat Quintilianus, præcipuūsne extitisset Plato vel acumine differendi, vel eloquendi facundiâ, divinâ quādam ac Homericâ. Pro Socrate, oraculum loquetur Delphicum. Demosthenem, ille fulminator Macedoniæ Philippus, totâ plus Græciâ reformidavit. Themistoclem, Alcibiadem, Dionem & Epaminondam politissimè depinxit Nepos. Reliquos negligor quidem temerare ausus est. Vixere hi jam ultra duo annorum millia, & dicendi scribendiisque arte claruerunt. Imitamini, imitamini generosiores animæ, & quotquot inter astra immortalitatem famæ reservari vultis, industriam senilem! nec committite faciles, antiquitatis laboriosæ laudes, in vestrâ sugillationem identidem amplificare. Aut si vetustatis (*quam tamen maximi facere unumquemque decet*) nullum apud Vos relictum pondus est, Majestatem saltem artis Oratoriæ veneraminor: neque enim caulis, sed aulis; non urbi, sed orbi augustissima præst prodestque eloquentia. Ineptiunt, ut mollissimè loquar, ac pudibundum errorem errant, qui intra scholarum, cellularumvē angustias, natam educatamque Oratoriæ eminentiam contendunt. Ad thronum illa sedet: Reges moderatur, Principes gubernat, Respublicas vel copulat disjunctas, vel coalitas dissolvit. Non puerilis lusus, non Grammaticastrorum fœcunda speculatio, Eloquentia est: regia, regia scientia & fuit, & in-

ne-

nebit: quam admirati non minùs atque curiosè imitati Imperatores, Heroës, & spirituum excelsissimorum animi. Sterilis facundia, & jejuna admodum dictio erit, quæ ad civilem statum, & politica arcana illa non vel accommodatur, vel conducit. *Oratorum dos Prudentia*: prudens verò nec sentit plebeja, nec facit: sublimia loquitur, scribit, operatur. Quæ ego curiosiore mentis oculo perlustrans, post Ciceronem, Tacitumque, Polybium laudabo. Ita enim elaborata cuncta sunt, & magnifica, quæ nobilissimus adducit autor, ut qui infantiles verborum phrasiumque affanias sectari velit, negligentissimo, Virum fastidio projiciat. Sed ut eò, unde digressi paullum ante sumus, revertamur, de *Augustate rei Oratoriæ dicendum quiddam supereft*. Prodeant excellētissimi Græcorum Latinorumque Imperatores bellici; Themistocles, Alcibiades, Epaminondas, Dion: quibus quis differtior facundiorq; fuit? quis verò generosior, illustriorvē? Julium Cæsarem, (ut Romanos etiam adoriamur) Apollo-nio clarissimo dicendi Magistro, navasse operam, Suetonius testatur: eundemque præter alia subsidia, eloquentiâ in primis fretum, summa rerum invasisse culmina, scriptores celeberrimi asseruerunt. Pompejum, cuius eloquentiam inter cæteras artes imperatorias mirè commendat & prædicat Tullius, repetuisse declamandi consuetudinem, sub belli civilis initia; M. Antonium verò, itemque Augustum, ne Mutinensi quidem bello omisisse, idem Suetonius tradit. Usque adeò semper summis Viris proprium fuit Eloquentiæ studium, quod sine ea, ad excellentiam aliquam in administratione Reipublicæ se per venturos haud esse, existimarent. Nec præter-eundi hīc planè sunt L. ille Torquatus, quem tu non tam citò Rhetorem dixisses (et si non deerat omnino) quam, ut Græci dicunt, πολεμον: & Lentulus, qui eloquentiæ satis

habuit ad Rempubl. duntaxat, quod opus esset: & C. Lælius, cui eloquentia tantum tribuitur, quod esset in rebus privatis, amicis ejus, in Rempubl. ipsius dignitati satis. Nec quam adhuc de M. Cornelio Cethego, Catone, Scipione Africano, M. Æmilio Lepido, Q. Catulo, L. Crasso, Cn. Pisonne, Q. Hortensio, Asinio Pollione, summis, præclarissimo- rum & nominum & meritorum, Oratoribus, locuti sumus. Dabitis veniam, AUDITORES, si, quod exprimere nullo equidem verborum apparatu meo possum, Eloquentiam ipsammet, pro se dicentem introducam. Ego, ego Jovis soror, mortalium arbitra, togæ sagique pronuba, Regum Principumque individua custos, animorum domina, affectuum conciliatrix, consiliorum genitrix, armorum viatrix, nil nisi majestatem spiro, curro, impertior. Accedite, discite, precibus, labore, exercitiis, quotquot possedeo, venum vobis prostant, præmia: accipite, accipite oblata! dumque genua virent, dum juventus ridet, humanioribus incumbitote literis. Id enim tempus ingeniis expoliendis, molestiis devorandis, vel maximè idoneum. Dementis animi epiphonema est:

*O mibi præteritos referat si Juppiter annos!*

Quid ergò studia comperendinamus nostra? quid in futurum, præsentium ignari & securi, rejicimus? Ipes? optima fugiant, pejora sequuntur. Quin imò si nec autoritate percelli eloquentia potuistis, vim saltem, & quâ prædita est, efficaciam attendite! Orpheum & Ariona, (ut ingeniosissimè, Poëtarum quidam fabulantur) modulatissimo concentu, exquisitisque fidium modis, saxa ferasque traxisse, quis verò nescit?

*Immites potuit flectere cantibus  
Umbrarum dominos, & prece supplici*

*Qui*

Qui sylvas, & aves, saxaque traxerat,  
 Ars qua præbuerat fluminibus moras,  
 Ad cuius sonitum constiterant feræ,  
 Mulcet non solitis vocibus inferos,  
 & surdis resonat clariùs in locis:  
 Cothurnatus ille Seneca in Hercule furente scripsit.  
 Horatius autem, nescio, utrūm graviùs, an elegantiùs hanc  
 in rem cecinerit:

— — — Fuit bæc sapientia quondam  
 Publica privatis secernere sacra profanis,  
 Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,  
 Oppida moliri, leges incidere ligno.

Cicero ipse met, potentius nihil, nihil glorioius accuratâ dicendi arte esse, arbitratur. Hæc unares, inquit, in omni libero populo, maximèque in paratis tranquillisque civitatibus præcipue semper floruit, semperque dominata est. Quid enim est, aut tām admirabile, quām ex infinitâ multitudine hominum, existere unum, qui id, quod omnibus naturā sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tām jucundum cognitu, atque auditu, quām sapientissimis sententiis, gravibusque verbis, ornata oratio & expolita? aut tām potens, tamque magnificum, quām populi motus, judicum religiones, Senatus gravitatem, unius oratione converti? Quem porrò latet, maximam vim existere Oratoriæ in hominum mentib⁹, & delenificam (sit venia vocabulo Plautino) virtutem, nunc ad iram, nunc ad odium, mox ad misericordiam, hinc ad dolorem incitandis, vel ab hisce, ad pacem, lenitatemque revocandis? Ne precario dicere hæc videamur, scrutabimur annales, temporumque memorias aliquantūm recolemus. Pisistratus certè, dicendo tantum valuisse traditur, ut ei Athenienses regium imperium, oratione capti, permetterent: cùm præser-

E tim

tim ex contrariâ, amantissimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius salubriores erant concioncs, alterius disertiores: quo evenit, ut alioqui prudentissima civitas libertati præferret servitutem. Pericles quoque, felicissimis (ut V. Maximus loquitur) naturæ incrementis, sub Anaxagorâ Præceptore, summô studiô perpolitus, & instructus, liberis Athenarum cervicibus jugum servitutis imposuit: egit enim ille urbem, & versavit arbitrio suo. Hegesias Cyrenaicus Philosophus, facundissimo sermone, mala vitæ, felicitatemque istius ævi, quod maneret manes, sic repræsentabat, ut eorum miserandâ imagine audientium pectoribus impressâ, multis voluntariæ mortis appetendæ cupiditatem ingeneraret. Ideoq; à Ptolemæo Rege, ulteriùs hâc de re differere, prohibitus est. Terribilis ille Macedo Philippus, quâm expavit Demosthenis ad populum *Orationes*? quâm trepidavit magis ad unius viri verba, atque ad pleræque Græciæ arma? Ipse ille verò, cùm fundamenta Monarchiæ, à filio consummandæ, in occupandâ Græciâ jaceret, multa quidem vi, plurima dictâ & facundiâ expugnavit. Et quotusquisque Imperatorum bellicorum extitit unquam, qui sermonis divinâ quâdam & arcanâ vi, ad prælia militem animare vel non didicerit, vel utilissimâ vincendi ratione solitus sit? Nunquam Rempubl. Romanam, hoc est, imperium maximum suum fecisset Cæsar, nisi fortitudine æquè ac eloquentiæ viribus polluisset: & armis alios, quibus superior omnibus; ingenio cæteros, atque dicendi copiâ, quâ eloquentissimis par erat, superâsse. Regibus Româ expulsis, plebs à patribus, ausu dislidens periculosisimo, trans Anienem amnem in colle, qui Sacer appellabatur, frequens secesserat, armataque manu consulum meditabatur cædem, Quiritium ruinam. Agere animam cadaveri simillimus Reipublicæ

Ro-

Romanæ status videbatur. Placuit Menenium Agrippam, egregium Oratorem, ad rabiosam infrunitamque plebem mittere. Extat orationis antiquæ, satis ad concordiam, & juramenti sacra, efficax apolodus: quô dissedisse inter se quondam humanos, inquietab artus, quod omnibus opere fungentibus, solus venter immunis ageret: deinde moribundos à sejunctione in gratiam rediisse, quando observassent, quod ejus in primis operâ, redactis in sanguinem cibis, irrigarentur. Sic unus omnes, furorem lusus, vox munimenta, oratione vicit, temperavit, rexit. Mercurium Eloquentiæ Deum, & orationis, ex ingenio paganorum, inventorem, hâc allocutus ratione Flaccus est:

*Tu pias latis animas reponis  
Sedibus: virgâque levem coërces,  
Aureâ turbam, superis Deorum  
gratus, & imis.*

Mihi in hac caussa, Poëtarum assumendus quasi mos est, ac habitus, qui in grandia delati, centum sibi ora, totidemque linguas exoptaverunt. Sive enim privilegiorum & multitudinem & magnitudinem, sive venustatem rei Oratoriæ mecum æstimem, ubi exordiar, ac ubi desinam verba, vix equidem invenero. Et me clepsydra quoque, ne vestrâ, AUDITORES, nimiùm abuterer benignitate auscultandi, monuit jam pridem, ut *qui vel solâ brevitate mē vobis placitum suprà confidebam*. Ibo igitur per summas, atque si licet, insinuabo plus, diducam minùs. Dii suò quodam modò, consummatæ laudis Oratores sunt, Reges sunt, Principes sunt, omnia sunt. Hæc dum eloquor, fortasse temeritudinis arcessar, aut insubidi (*quanquam innocentia ista dixeram*) judicii. Nolim autem ex Poëtarum scribiis sermoni meo quæsitare patrocinium: quam facile enim Mercurii fi-

lios, Deorumque plenos, excellentis linguae Oratores esse, affirmare potuissem? id dicam: tria, quibus praeminet universis Deus atque supergreditur cuncta, esse: *aeternitatem vitae, sapientiam infinitam, immensamque bonitatem*. Solius equidem Numinis prerogativæ haec sunt, quorum incapax mortalium conditio. Si tamen imitandus Deus, in civili quoque vita sit; ecquomodo exprimi felicius, aut proponi ad exemplum certius, quam Eloquentiae studio arteque Oratoriæ potest? aeternitatem ut sperare nemo, sic nec desiderare etiam presumet: fama immortalitas interim, suis negata cultoribus haud est. Hæc quo comparatur honestius, eò diuturnior perennat. Duo, nisi calculum malè ego pono, fundamenta numerantur, quibus constantiam immortalis famæ, gloriæque indipiscimur: *Virtus, & Sapientia*. Falso? an suprà majorem virtute eloquentiam & asserui, & demonstravi? Orator antea bonus nemo, nisi qui sapientiae reconditoris. Benignitas verò ubi, aut qualis deesse Eloquentiae valet? ut quæ *sunt bene, & bene loquitur, & operatur optima*. Hæc Deum hominibus, hominesque inter se invicem copulat, unit, conservat. Secùs si faxit, jam non eloquentia amplius, sed garrulitas, loquacitas, ineptitudo, mendacium, & si quid deterius teteriusve sive concipi, sive produci potest, erit. Reges, Principesque verò ecce non sint? qui Deorum digni nomine ducuntur? Capessite, capessite doctrinas hæcce, *excitationes animi*. Incomparabile bonum est, sequi docentem immortalitatis dexteritas vias. Vestro, hæc dicuntur bono, quia vos boni, quia mei, mihi que indigno etiam concrediti, à *Deo, Principe, conscientiâ, vestris*. Humanitatum cultores estis; aliquid & ornatui tribuitis. ille, ille vero prædictus ornatu est, qui concinnè scienterque & scribere & loqui novit. Musas in pectore labiisque habitan-

tantes possidere, divinitatis æmula pulchritudo certè. Quid enim gratiosius, amabiliusve accidere juveni, Viro, Seni potest, quām istiusmodi proferre, quæ suavissima auribus, oculis speciosissima apparent? Logicam majores nostri arctâ adstrictâque pingere tunicâ: Rheticam Oratoriamq; laxiori & ambitiosiore indumento circumdare solebant: venustatem hujus, istius sed simplicitatem, emblemate non ineleganti ostendentes. Tota, quanta quanta est (quæ tam maxima est,) Oratoriæ ars, concinnitatem respicit ac cultum. Prendite, prendite ornatum hunc, *Latinum in primis*, egregia capita, & mitissima studiorum omnium tanti æstimate, quanti vosmet ipsos. Id si observaveritis, propitiū eventū ac præsentissimæ felicitatis imaginem, animo præ sagiente figurabo. Miramur ob decoram schematum munitionem, sæpè etiam ineptias, Gallorum habitum, &, quod contra majestatem Teutonum nostrorum est, simiarum instar æmulamur. Mirabimur veterem potius Romanorum in dicendo & gloriam, & augustatem: quos, si ullum aliud, virtutis sanè atque eloquentiæ nobilitavit studium. Ut enim fortunâ plurimùm valuerit illa Gentium dominatrix olim; antetamen *Cæsares, Augustos, Pompejos, Hortensios, Cicerones* & clarissima lumina, quām fuit in obscuro? Germania ipsa nostra, unō paullùm amplius seculo, ruditatis inscitiaeque nomine infamis, profundissimam barbariem, multâ eruditionis copiâ mutavit. Rejuvenescebant quippe cum ætate *Erasmi, Melanchtonis, Sturmii, Bembi, Sadoleti, Manutiorum*, humaniora studia, & quatiue annis profectus, amabilissimâ connexione suis incrementis congruebant. Nunc si inauspicatissimus latinitatis aliquis contemptus, (quem cœlum tamen penitus proscribat) ingravescat, nolo dicere, quæ pericula minetur. Hæc cogita, *sþes patriæ*, hæc

F ha-

habeto pensi ; frequenta hæc quām maximè, quorum ope  
animus perennat, & super caducā rerum sublatus munda-  
narum, quoddam Deitatis consortium exambit.

Temperandum verbis, & silentio componendus sermo  
esset, nisi & favoris argumenta, vestrorum illa vultuum sere-  
nitas suppeditaret, & de Utilitate rei Oratoriæ, (*quamquām  
sparsō hanc bactenus, ac neglecto quasi ordine intermisca*) di-  
cenda paucissima restarent. Obtinebo AUDITORES, in  
omni vitæ statu, disciplinisqne universis, tantum prodesse  
artis Oratoriæ beneficium, ut si carerent eo, ruerent actu-  
tūm ac pessundarentur. Duplex vivendi genus est, quo uti-  
mur mortales : sacrum unum, ac religiosum, alterum civile  
& profanum. Fingite quod vultis, vivite quod vultis, Ora-  
toriæ omnia debetis. Prodeant divini Oratores verbi, vene-  
rables Mystæ, & quid sine arte nostra possint, judicent, fate-  
antur, pronuntient. Persuadeant, quod præsumunt animo,  
plebi, sine rei Oratoriæ adminiculo. Erigant miseros, per-  
terreant præfractos, hæsitantes erudiant, roborent imbecil-  
los, omnibus omnia fiant; faciant hæc inquam, sine Orato-  
riæ ministerio. Ne pompam intelligere hīc unicè videa-  
mur, necessitatem volumus in primis. Forensia civiliaque  
qui in Politia tractant, Deum immortalem ! cui majores  
nisi Oratoriæ arti gratias exolvere tenentur ? sint Legati,  
sint à Consiliis, sint à secretis publicisve, perorent lites, sta-  
tuta sanciant, voluminibus edendis inclarescant; loquan-  
tur malè, turpiter scribant, destituti disertā elegantiqne di-  
ctione sint : umbræ erunt, nihil erunt : &, sive liceat dicere,  
sive non liceat, minùs quām nihil, in conspectu sapientio-  
rum. Tolle hanc Magistram vitæ; Theologus præcoque nul-  
lus erit. Consultus juris item ac Medicus vel nullus, vel im-  
perfectus. Tibi, eloquentia, eximias unaquæque virtus lau-  
des recitat : tibi festa faustaq; omina omnia acclamat : o-  
mnis

mnis status tibi, tibi ætas omnis, & aperta undiq; congratulantis turbæ ora vocesque modulantur. Perte, Oratoria, pacis belliisque arbitria administrantur. Tuo stant universa nutu. Verborum fulmina vibrare doces? jam insonuerunt ad tonandum animi. Mella proferenda suades, compositi, Mercuriō quodam mitigante, impetuosi sunt affectus. Tu societatum pariter & nationum myriades, unius voce, scripto vel dissociare potes, vel combinare noviter. Ades dum Tulli, & quod jam olim dixti, hîc quæso repete:  
*Cedant arma togæ, concedat laurea lingua!*

Tu verò Nobilissima florentissimaque studiosæ juventutis concio, si vis, (voles autem) sapere maturè, curæ cordiq; semper habe humanissima Latinitatis studia. Neque enim nudas hîc commendamus literas, formularumque (quæ nonnullorum vana persuasio est) inanias crepamus: *politica sub hoc delitescit involucro, historiae subintelliguntur; Philosophia, & sublimiores, quotquot sunt, scientiae, ab hoc dependent fundamento.* Hæc in eruditos, nobiles, quid dicam? principes Viros, vos transfigurabit disciplina regia. Hæc proderit omnibus, & ubique; nocebit nemini. *O quam decorares est, sentire prudenter, & ornatè loqui!* Optandum foret, ut non tam perforatis auribus recitaretur hoc, quam sanctissimè custodiendum, in intimum depangeretur peritus! veruntamen, ne de industria vestra, qui in spem amplificandæ gloriæ divinæ, proximiq; adolescitis utilitatem, *egregii Juvenes*, vel quicquam dubitarem, jussit me ac confirmavit pridem spes erga Vos optima. Id duntaxat exordium adhuc erat, ut frequenti non minùs quam constanti auscultatione publicis interessetis cum fructu lectionibus, propitiumque Numen, castissimis, pro laborum benedictione, precibus fatigaretis.

### D I X I.

F 2

AN-

**ANNOTATA QUÆDAM,**  
**Ampliorem affudentia lucem**  
*illis, quæ videri obscuriora potuissent.*

*Ad pag. 1, lin. 12.*

 *Vod Oratorum consummatissimo cuidam ) Demosthenes, Eliano teste, fuit. Erat enim confidentis, & ad gloria, audacis animi Vir; (quod sibi quoque vel vitium, vel virtutem potius fuisse, Cicero alicubi prodidit) hinc legatione aliquando cum aliis, apud Macedones fungens, cum causam dicere instituisset, & verba eum, & ingenium defecerunt. Conf. BUCHN. in Fabro, f. 298.*

*Ad pag. 4, lin. 1.*

*Si enim cum hac exceptione &c.) ad morem istius, à Seneca prolati, cedro dignissimi, ex Epistol. VI. sic cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam tenet, nec enuntiem, rejiciam. Omne bonum communicativum sui esse, Philosophia prima docet. Natura: non nobis tantum, sed aliis in primis natos nos esse, subdit. Poëta canit:*

*Vile, latens virtus; quid enim submersa tenebris,  
proderit?*

*Haud magis scilicet,*

*quam lyra quæ retinet, vel, qui non tenditur arcus.*

*Verissimè iccirco Persius: scire turum nihil est, nisi te scire, hoc sciatur alter.*

*Ad pag. 4, lin. 15.*

*Ille instrumenti veteris Evangelista) Esaias est, ex cap. VI. v. 6.*

*Ad pag. 6, lin. 2.*

*Apud Tragicum) Euripidem indigitabam.*

*Ad pag. 6, lin. 4.*

*Deus desiderata cordis & votalabiorum) Hæc & seqq. ex Psal. XXI. LXVIII. & CXVIII.*

*Ad pag. 7, lin. II.*

*Quorum ultra genitores, merita &c.) Alluditur ad dictum Alexandri, quem Magni cognomento, grandia eventuum insignivere; dum Aristotelem Præceptorem admiratus: plus illi, quam parenti se debere, dixit. quod à patre qui dem*

dem vitam, ab Aristotele autem, ut bene viveret, accepisset. Plutarch. in vita Alexand.

Ad pag. 10. lin. 4.

*Multo labore, assiduo studio, variâ exercitatione &c.) Simili usus monito prudentissimè BUCHNERUS est, i. de exercitat. styli, dissertat. ubi fœneratores imitari jubet illos, qui ad dicendi copiam aspirant, ut, quicquid didicerint legerintque; id ipso usu non modò custodiant, sed & provehant in majus. Nunquam, inquit, id laudis consequutus Apelles fuisset, ut consummatisimus pictorum haberetur, nisi hanc sibi posuisset legem, ut nullam diem sine linea, hoc est, ita abire fineret, quin exerceret artem, si vel lineola saltem ducenda. &c.*

Ad pag. 10. lin. 13.

*Orator extitit nemo unquam, qui non & sapiens) Rectè interim Franciscus Bacon de Verulamio, Vice Comes sanct. Alban. in augmentis scient. ad Regem suum M. Britann. l. 6. c. 3. p. 295: eloquentia, inquit, si quis verè rem aestimet, sapientiâ procul dubio est inferior. At fructu & populari existimatione, sapientia Eloquentiæ cedit. Ita enim Salomon: sapiens corde appellabitur prudens, sed dulcis eloquio, majora reperiet. Haud obscurè innuens, sapientiam, formam quandam & admirationem cuiam conciliare: at in rebus gerendis, & vitâ communi, Eloquentiam præcipue esse efficacem.*

Ad pag. 10. lin. 25.

*Efficacissimum permovendi genus est, exemplo persuadere) Conformitate dictorum factorumque nihil pulcrius, convenientiusque nihil. Unde & Hebrai in Beresch: Rabba sect. 34. circ. fin.*

נְאֵס רַבְרִוָּת כְּפִי שׂוֹשִׁיחַ :

h. e. pulchra sunt verba, ex ore facientium ea.

Ineptitudinem maximam interpretatur Gallorum sententia, illorum morem, qui pulcra plurima loquuntur, bona nulla operantur:

beaucoup de plaid, & peu de fait.

Atque illa: belles paroles, & meschants faits,  
trompent se sages & les niais.

Poëtaq; exclamat: Si vis me flere, dolendum est primùm ipsi tibi.

Ad pag. 12. lin. II.

*Pro Socrate oraculum loquetur Delphicum) Hujus quippe responso, mortalium sui ævi sapientissimus judicatus Socrates est.*

Ad pag. 12. lin. 28.

*Ad thronum illa sedet : Reges moderatur , Principes gubernat ) Prudenter Di-*  
*dacus Savedra in Ideâ Princip. Polit. Christ. symb. 4. secundo, post pietatem, lo-*  
*co, quâ instituendus à teneris sit Princeps, Eloquentiam ponit : secundo, inqui-*  
*ens, loco, necessaria est Principi eloquentia, illa blanda affectuum domina, quæ volunta-*  
*tes hominum suaviter attrahit , ut imperio sese luhentes & sponte subjiciant. Ac post*  
*pauca: quid de suâ eloquentiâ sibi non pollicebatur sapientissimus Salomon ? in con-*  
*spectu potentium admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me ; tacen-*  
*tem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura,*  
*manus ori suo imponent. Et sanè , pergit , si Eloquentiae solius tanta vis est , ut*  
*per se, ipsa audientium animos mirè capiat, quid fieri demum, si armetur potentia regia,*  
*aut purpurâ vestiatur ? Princeps, qui alterius eget operâ, ut, quæ secum ipse reputat, elo-*  
*quatur, statua elinguis est potius , quam Principis dignus nomine ; quod vitium in Ne-*  
*rone primâ omnium animadversum. Non immerito proinde illustris quondam*  
*Angliae Cancellarius, Verulamius, l. i. Augm. Scient. p. 2. inter alia, Regem su-*  
*um, ab Eloquentiâ in primis laudat, ad exemplum Augusti Imperatoris : tuum,*  
*scribens , dicendi genus est profluens tanquam à fonte , & nihilominus , sicut naturæ*  
*ordo postulat , roris diductum suis , plenum facilitatis felicitatisq; &c.*

Ad pag. 13. lin. 3.

*Sterilis facundia & jejuna admodum dictio erit, quæ ad civilem statum , & po-*  
*litica arcanâ non accommodatur ) Placent quæ de se, Clarissimum Oratoria Lumen*  
*BOECLERUS Progr. Acad. 2. scripsit : cùm à puero non de studiis magis, quam*  
*de studiorum usu cogitare consuevissem , & officio præsertim, quod nunc ge-*  
*ro, cura me commonefaceret, ut de præparandis vitæ & usui publico juve-*  
*num animis essem solitus , visus mihi sum operæ facturus esse pretium..*  
*si ad civilia potissimum, lectiones publicas & privatas , cum exercitationibus*  
*plerisque referrem, sepositâ sterili facundiâ , jejunisq; dictionibus.*

Ad pag. 13. lin. 26.

*Semper summis viris proprium fuit eloquentiae studium ) Incom-*  
*parabilis BUCHNERI verba sunt, cum præcedentibus nonnullis, ex Dis-*  
*sert. Academ. 156. Tanta præterea , ( ait alibi ὁ μανείτης , Dissert. CXX )*  
*illius olim dignatio fuit, ut Principes etiam Viri, quotidie penè in meditationi-*  
*bus istiusmodi se occupari paterentur.*

Ad pag. 14. lin. 16.

*Dumque genua virent, dum juvenius ridet &c. ) Hic certè non ineptit*  
*Rabbinorum natio, dum cap. 4. Pircke Ayoth querit :*

תְּלִוָּר

הלוֹמֵר יְלָד לִמְתָּה הוּא רַומָּה לְרוּיָה כְּתוּבָה עַל נִיר :  
חֲרֵשׁ וְהַלוֹמֵר זָקָן לִמְתָּה הוּא רַומָּה לְרוּיָה כְּתוּבָה עַל נִיר מַחְזָק :

Scilicet: qui discit puer, cui rei similis est?

Resp. Atramento, scripto in chartâ novâ. Qui verò discit senex, cui  
rei similis est?

Resp. Atramento, scripto in chartâ veteri, vel bibulâ.

Ornatisimè idem exprimit Gallus:

*Qui n' est diligent en jeunesse,  
Pauvre sera en sa vieillesse ;*

Aliterque:

*Ce qu' on apprend au bers,  
demeure jusqu' aux vers,*

Et inter *Arabes* non incelebris ABI UBEID monet:

﴿ أَتَكُنْ عَيْ نِمَرَاعَ الْقِبْطَةِ نَمَرَاعَ ﴾

Esto (nimirum) in diebus æstatis, formica.

Idemque alibi:

﴿ أَتَكُنْ عَيْ الْأَكْبَرَ يَوْمَ الْأَكْبَرَ شَنَقَنَ ﴾

Acue, (inquit,) ferrum, dum calet.

Ad pag. 15. lin. 24.

*Maxima vis existit Oratorie in hominum ment. &c. ) Philip-*  
*pus Cominæus, & genere & eruditione nobilissimus Gallus, per tres ferè annos*  
*detentus in carcere, graviterque adeò, ac si reus Majestatis esset, exagitatus*  
*inter Bituriges, cùm ad precum instantias Lutetiam Parisiorum inter vincula de-*  
*duceretur, inque Senatu, adversarios experiretur omnes, præpotentesque*  
*Viros, Patronum nullum: caussam ipse suam egit, & per horas duas, ingenti*  
*cum attentione ita eloquentissimè dixit, ut à Judicibus mox absolveretur.*  
*Sleidan. in vita Cominæi. Unde Cornificius, Tulliusvè, vel quisquis autor*  
*est Rheticorum ad Herennium lib. i. non enim parum habet, ait, in se fructus,*  
*copia dicendi & commoditas orationis, si recta intelligentia, & definita moderatione*  
*animi gubernetur.*

Ad pag. 17. lin. 1.

*Placuit Menenium Agrippam &c. ) Ita Florus lib. i. c. 23. Valerius M.*  
*alii rem assignat: lib. 8.. c. 9.*

Ad pag. 19. lin. 10.

*Prendite ornatum hunc, Latinum in primis*) Eleganter admodum Galli : Avec florin, roussin, Latin, partout on trouve le chemin. Germanicè sic expresseris : mit einem Gülden / Hengst / und Latein / findet man überall den Weg.

Ad pag. 20. lin. 30.

*Ac Medicus vel nullus, vel imperfectus*) Liceat non frustrà verò dubitare, ecquà ratione, vel utilis vel necessaria Medico sit Eloquentia ? cui tamen quæsito cùm satisfecerit egregiè Dissert. Acad. CXXIX. BUCHNERUS noster ; præstabit, arbitror, consulere, quam expilare

Virum.





Duces Brandenburgici

1. Fridericus primus Magnanimus à Modestia
2. Albertus qui Academiam Regionantanam fundavit.  
à Fortitudine et Magnamitate.
3. Iohannes ab Eloqua.
4. Joachimus à Iustitia.
5. Iohannes secundus ab Autoritate.
6. Iohannes Georgius à Sapientia.
7. Iohannes Fridericus à Pietate.
8. Iohannes Ligmundus à Clementia.
9. Georgius Wilhelmus à gravitate & Prudentia.
10. Fridericus secundus Magnus à magnis profectibus.
11. Fridericus Tertius à Regia dignitate.

Poloni Senatori Evangelici

Andreas Wolfgangi Pöller  
Ios. Christopher. Burckstaller  
Joseph Begner  
Michael Hor. Seppius  
David Daffier  
Nic. Abentzel

Paulus Kajak Kot. Col. Honterius  
Franciscus Bulowhi Vice Consul Nagyad  
Pastores Cassovia 1691.

Paulus Farunii Germ.  
Adamus Warner Ser.  
Markus Parot Hung.  
Ios. Bertoczi Slav.  
Ios. Brapaceny

Bartosz  
Jacoby Zablers Superintenden  
Adamus Poprad. Ger. Diae.  
Markus Krendelius Slav.

Cibini  
Zedranus Clemens' Germ.  
Iohannes Gocky Slav.  
Leut. Schorr. Germ.  
Iohannes Lazar. Germ.  
Markus Adam. Ser.  
Franciscus Slav.

Tiropoli Pastore  
Ios. Prefer Germ.  
Georgius Budroff Slav.  
In Comitatu Neogradensis  
Ieremias Blenk in Gral  
Iohannes Selmecig in Tomas falci  
Samuel Apostoli Centenarius in Napkov  
Ios. Kauriukis Orator in Strizova  
Samuel Fundeling in Last.  
Simon Siman in Tiropolya  
Jacobus Skroderius in Poltar  
Pamid Tepei in Potra  
Ios. Kani in Ubska  
Ios. KusKovics in Turcez  
Matthias Blaho in Benebanya  
Andreas Czembim in Leinobanya  
Ios. Kucserai in Palicse  
Ios. Simonides in Szend  
Adamus Adam in Lom.

Ung. II 6.

W317 Z



po  
zum di  
zeus i  
et sim  
le voga  
ue do cu an  
Epistola  
CD u  
a in tr  
e dnu  
entat e  
d def vo  
s ioL o m  
meh ad e  
sempa  
Socie  
nig si  
vint  
li stöei  
te mafsi  
te suqu  
**A**  
duelch  
probi  
granu  
2 ntu  
ohm  
bet i  
de  
ed  
el ntu  
quis  
ment  
ment

4  
GEORGI CASP: KIRCHMAIERI,  
MAGISTERATQVE ELOVENTIÆ  
PROF. PUBL.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan


Blue

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

De  
te, & amplis-  
toriae, in Rempubl.  
dante Utilitate,  
**ATIO  
FIGURALIS**

nni ritu recitata  
Wittebergæ,  
jore A. O. R. M. loc. LXI,  
sis Nonis Iuliis.



BUCHNER.  
Acad. CXXXIX.  
eloquentiæ Studium  
ium iis jam olim, qui  
oco nobili & in spem  
ipublicæ adole-  
scunt.

VVITTEBERGÆ  
TYPIS HENCKELIANIS.